

d'avoir quelque ayde, assistance ou subside d'eux, si on s'est adressé aux Evêques de Liege & de Cambrai, & à chacun dans son Diocèse, pour par leur moyen & autorité FAIRE CONVOQUER CEUX DU CLERGIE, aux quels l'on a accoustumé proposer & demander tel don gratuit ou subside, qu'il convenoit pour subvenir à nos affaires, en quoy ils ne sont jamais rendus difficiles, sans y ont volontairement consenty, comme encore ils seront prests quand la nécessité la requirera. Id est. Verum cum le obtulit occasio, ut ab iis precarium aliquod aut subsidium posceretur, adiri solitos Episcopos Leodiensem & Cameracensem, & quemlibet in tua Diocesi ut mediante eorum autoritate, II QUI DE CLERO SUNT CONVOCARENTUR, quibus proponi & à quibus peti moris fuit, donum gratuitum, aut subsidium quale conveniebat ut negotiis nostris succurreretur, qua in re difficiles se numquam praeberet; quin ultro assenserunt, prout & modo parati sunt, cum necessitas postulabat.

Ce non obstant sous ombre de dixièmes deniers n'a gueres deux fois accordés par les Etats de Brabant de tous biens & meubles & autres revenus l'on s'est avancé contraindre par execution réelle ceux du Clergé & Etat Ecclesiastique, SANS LES AVOIR FAIT ASSEMBLER ET DEMANDER LEUR CONSENTEMENT, COMME L'ON A ACCOUTUMÉ A FAIRE DU PASSE, le tout contre & au préjudice de leurs dits libertés, franchises & exemptions, nous supplians qu'à la conservation d'icelles il nous plaise sur ce faire declaration, afin que telle nouveauté ne soit eue en consequence. Id est. Quibus non obstantibus praetextu nummi decimi non ita pridem bis concessi per Ordines Brabantiae, in omnia bona & mobilia aliosque redditus, progressum est ad coactionem reali executione dicti Cleri & status Ecclesiastici, TAMETSI CONVOCATI NON FUERINT, NEC ROGATI ASSENSUM PROUT OLIM OBTINUIT CONSUETUDO, id est. Quae contra & in detrimentum libertatum dictarum, & exemptionum ipsorum. Nobis supplicantes ut pro conservatione illarum placeat Nobis declarationem facere, ne talis novitas ducatur in exemplum.

Savoir faisons, que tous les choses susdites considérées, inclinant favorablement à la Supplication & Requeste desdits Remonstrans, avons déclaré & déclarons par ces presentes, que ce qu'ils ont payé & déclarons par ces presentes, que ce qu'ils ont payé & contribué es dixièmes dessus mentionnez, veu qu'ils ont esté accordés par l'extreme & nécessaire défense du Pays, ou tous exemptis & non exemptis Privilèges & non Privilèges, & tous autres nuls exceptes ont contribuez, ne sera cy apres eue en consequence & ne tournera au préjudice des dits libertés, franchises & exemptions des Remonstrans. Id est. Quibus omnibus attentis Notum facimus, propensi favorabiliter supplicationi dictorum exponentium, declaravimus & declaramus per hasce, quod id quod persolverunt & contribuerunt in exactionibus dictis nummi decimi, quandoquidem pro extrema & necessaria Patriae defensione fuerint permittæ & ad quas omnes tam exempti quam non exempti; Privilegio præditi & non præditi ceterique omnes, nemine excepto contribuerunt, nullum invehet detrimentum jurium, libertatum & exemptionum, Exponentium.

Ex hac supplica intelligimus, Clerum Brabantiae præterdidisse se non posse comprehendi sub consensu Statuum Brabantiae, eo quod sub nullo membro contineretur.

Secundum ex apostilla data ad hanc supplicam patet, consensum Ordinum, occasione cujus præterdebatur, quod Clerus contribuere deberet, datū fuisse cum clausula, quod etiam exempti in contributionem venire deberent, id est cum clausula hodie usitata, *niemandt urye*.

Tertio probat hæc supplica, quod tunc nonnulli

præterderint sub consensu Ordinum Brabantiae comprehendendi ipsum Clerum, præsertim quando is datus est cum prædicta clausula, *niemandt urye*.

Quarto habemus ex ipsa Principis apostilla, à Clero tunc aliquam contributionem fuisse solutam; ipsum Principem judicasse ob præsentem necessitatem, hanc contributionem à Clero esse dissimulandam, sive jam factam non esse revocandam.

Quinto ex eadem apostilla habetur, Principem judicasse & declarasse hanc contributionem esse quidem à Clero dissimulandam; nequaquam tamen declarasse, Clerum sub consensu Ordinum tamen sub conditione, *niemandt urye*, præterdidisse comprehendendi: imò potius contrarium indicasse per clausulam apostillæ inferatam.

LVI. Quandoque posthac Clerus in contributionem subsidii per Status Brabantiae impositi, vocari cepit, nescio. Interim non obscurum est, Principes Belgii etiam hoc seculo, Clerum Brabantiae habuisse pro corpore omnino separato à tribus membris Ordinum, atque à Clero tamquam distincto Corpore *Subsidium voluntarium* petiisse; uti ex supra allegatis litteris patet.

LVII. Ulterius hoc scio à paucis annis nonnullos à Clero Brabantiae Pastores contendisse se non posse ex consensu Ordinum Brabantiae gravari; variisque editis publicis scriptis suam ab his subsidiis immunitatem propugnasse: atque inter alia evulgatum fuit scriptum cui titulus: *Brevis deductio juris pro immunitate Pastorum Brabantiae à publicis ejusdem Provinciae oneribus Supplicantiis*; in quo scripto ostenditur, Clerum Secularem esse Corpus distinctum à Statibus Brabantiae, neque sub Consensu Statuum comprehendendi; idque iisdem penè argumentis quæ hinc à me proposita sunt.

Pendet quoque hic coram Concilio Brabantiae inter Capitulum SS. Michaelis & Gudulæ juncto Clero civitatis Bruxellensis & ipsam civitatem Bruxellensem, in qua Capitulum & Clerus sustinent, se per Ordines Brabantiae citra specialem suum consensum gravari non posse.

LVIII. Quidquid sit de hac controversia, illud constat, Clerum in consensu Ordinum Brabantiae nominatum non exprimi; neque specialem quorundam determinatam est pro Prælati primum membrum Ordinum constituentibus.

Indicium sanè probabile, Clerum ex prima intentione Ordinum Brabantiae non fuisse comprehensum, neque de Clero fuisse cogitatum; præsertim cum reperitur exactè determinatum quid in singulis subsidiis singulæ civitates, & pagi proportionatim conferre debeant; nihil autem determinatum unquam sit, quàm portionem Clerus ferre debeat.

LIX. Unde & contingit, ut Pastores aliique de Clero taxentur & tallientur ab ipsi Pagorum Magistratibus & prætoribus, idque sæpe cum notabili inæqualitate ad alios incolas, & infractione immunitatis Ecclesiasticæ, aliisque summis incommodis.

Sanè frequens in his & aliis Provinciis jam pridem fuit Cleri voluntaria contributio: at illius contributionis distributio per ipsa membra & supposita Cleri, non ipsis Pagorum consilibus vel Prætoribus aliisque laicis, sed Deputatis aut Capitibus Cleri concredita fuit; atque ab his Ecclesiastici singuli habita proportione proventuum taxati, & contribuere compulsi sunt.

Legitur in citata acta Maximiliani & Mariæ Ducum Brabantiae de 13. Junii 1479. quod Clerus Brabantiae consensisset in subsidium quoddam, sed imponendum & colligendum per Deputatos Cleri, absque interventu laicorum. Verba sunt: *Om by de veorz, Clergie of by sekeren heuren gheputeerde, die de ordinaris of conservateurs selver daer toe committeren ende stellen sullen sonder toedoen, middel of onder vinden van ons, noch eenighe*

veer die leckerhand, die veorz, somme van vier duysent Rynsguldens daer verde boven vercleert, te setten te innen ende te ontfangen soo dat behoort, ende t onsen beboeffte betaelen in termijne voorschreven, by aen selven heuren ghecommiteerden, die voor de selve Clergie of heuren gheputeerden ende neyghens anders rekeninghe ende bewijs daer af doen sullen, maer alsoo veer die veorz, Clergie of heure gheputeerde in ende tot behulp der ininghen van de penninghen voorschreven, teven ende tot behulp van de gheesteycke censuren of bedwvanghe onser voereycker handt, teghen de veeder spanninghen of rebelle beboeffd, sullen wy of onse Officieren daer op versocht hun daer inne bystant ende behulp doen. Id est. Ut per dictum Clerum aut ejus Deputatos, quos ad eum finem Ordinarii aut ipsi Conservatores statuunt & designabunt, nullatenus interveniente nostrâ operâ, autoritate, aut instantia, vel alia laicali potestate, prædicta quatuor mille florenorum summa, valoris ut supra, imponatur, colligatur & recipiatur, prout opus, & ad usum nostrum persolvatur in dies præstuturos, ab eodem Clero aut iis quibus negotium demandarint, qui eorum eodem Clero aut ejus Deputatis, nec aliis omnino, ratione reddent & conferent, verum si aut dictus Clerus, aut ejus Deputati ultra Ecclesiasticas Censuras vel ad earum robur, in dictâ pecuniæ collectionem seculari nostra potestate ad compellendum rebelles, & contumaces indigeant. Nos aut Ministri nostri id rogati opem & auxilium conferemus.

In Gallia quoque *donum gratuum*, in quod Clerus consentit, per Prælatos, non autem laicos distribui & colligi notum est.

Quomodocumque in contributionem & subsidium Clerus vocetur, optandum sanè esset, in hac occasione Clerus, ac notanter Pastores, laicis & suis subsidiis non subderentur; neque multisimilibus eorum vexationibus exponerentur; quibus optimi ac zelosissimi Pastores frequentius sunt expositi; ut potè qui ob annuntiatam veritatem, & zelum disciplinæ odio malevolentium hominum magis sunt obnoxii. Episcoporum aliorumque Superiorum est prospicere & allaborare quâ viâ remedium hæc adferri queat.

LX. Ex ipsa allegata acta Maximiliani & Mariæ Ducum Brabantiae constat, subsidium voluntarium à Clero additum fuisse de consensu Episcoporum Leodiensis & Cameracensis, quibus Clerus Brabantiae tunc suberat *Met heuren vrye wille, by orlove ende consents van de Eerveerdighe Vaderen in Gode de Biscoppen van Luyck ende Camerick heuren Ordinariis*: Id est. Libera eorum voluntate annuentibus pariter & permittentibus ipsorum Ordinarii Reverendis in Christo Patribus Episcopis Leodiensi & Cameracensi. Idque conformiter ad Decretum Concilii Lateranensis in Cap. 4. *De Immunit. Eccles.*

LXI. Sed cum nulla fiat mentio Romani Pontificis,

admodum verisimile est, jam tum Decretum Concilii Lateranensis sub Innocentio III. in Cap. 7. *Exod.* non fuisse in usu, in quantum vult, ut in hujusmodi subsidiis aut contributionibus *consultatur Romanus Pontifex*. Facile enim privilegium quod vi declarationis Bonifacii VIII. præterdidit Rex Galliarum, vicino Belgio communicari potuit. Quidquid sit, certum & notorium est, in hujusmodi subsidiis consentiendis hodie Romanum Pontificem consulti non consuevisse. Vide Zypæum *Consul.* 1. *De Immunit. Eccles.* 1. ubi notat, eam ferre intra cæteras causam esse, cur *Bullam Cæne* non publicari aut recipi tam multis locis videamus.

LXII. Cæterum in annuendis subsidiis ea ratio tenenda, ut dum necessitatibus Patriæ succurri præterduntur, ipse Clerus, ac signanter Pastores & aliorum Directoribus suis necessariis non priventur; & dum in temporalibus Reipublicæ succurritur, in spiritualibus non noceatur; quos facillè continget, si Parochis sua necessaria desint.

Unde omnino justum est, dum subsidio aut aliqua voluntaria contributione Clerus gravatur, ipsam tamen Pastorem *competentiam* servari exemptam; quemadmodum jam pridem solliciti fuere Patres, ut *Mansus integer*, id est ipsa dos Ecclesiæ unicuique servaretur à censu & servicio immunis; uti *capit.* 2. latius notatum fuit.

Ad hæc nullatenus verisimile est, Principes desiderare, ut per subsidia competentia Pastoralis minuantur, qui tantopere solliciti fuerunt ut sine mora parochis de competentia provideretur; uti supra tit. 34 cap. 5. videri potest. Quare non semel hic in Belgio declaratum fuit, competentiam pastorem à contributione esse exemptam ac signanter anno 1687. & 1687.

LXIII. Circa subsidia quæ hic in Belgio Regi adduntur, & illud observandum, alia ex consensu Statuum sive Ordinum vel Membrorum imponi vel colligi tantquam *realia*, sive uti loquuntur *pede reali, reale voet*; alia ut personalia *personale voet*; alia denique partim reali, partim personali; prout Ordinibus vel Statibus visum fuerit: vel si non exprimat, tunc colligi solet eo pede, quo aliis subsidium pro tali necessitate, aut talibus expensis solutum, colligi consuevit: soletque hinc & consuetudo operari, ut observat Zypæus *Consul.* 1. *De Immunit. Eccles.*

LXIV. Quando ut realia, sive *pede reali* colliguntur, tunc fundis imponuntur, non habita personarum consideratione: ita ut exteri tallentur, sive in contributione vocentur in locis ubi fundi eorum siti sunt, pro ratione fundorum Econtra ubi ut *personalia* colliguntur, non habetur ratio fundorum sed personarum; & collectio seu impositio fit personis habito respectu lucris & proventuum suorum tuncque soli incolæ gravantur in loco domicilii. Ex his facillè videre est, quæ ratio inear, dum partim realia partim personalia sunt.

TITULUS XXXVI.

De Administratione & Alienatione Bonorum Ecclesiasticorum.

CAPUT I.

De Episcoporum in dispensandis & administrandis rebus Ecclesiæ auctoritate.

1. Plena dispensatio rerum Ecclesiæ olim fuit penes Episcopos.
2. Etiam post divisionem in 4. portiones mansit penes Episcopos dispensandi auctoritas.
3. Nonnulli Episcopi hac auctoritate abutebantur.

Van Eijpen Jur. Eccl. P. II.

4. Voluerunt Synodi Ecclesiæ Parochialibus provideri.
5. Seculo 6. ceperunt aliqua obventiones Ecclesiæ Parochialibus assignari.
6. Sensim singulis Titulis particularia proventus fuere annexi.
7. Libertate Episcoporum dispensandi res Ecclesiæ per electionem Beneficiorum dimissas, manserunt supremi earum rerum Superintendentes.
8. Primum hujus Superintendentiæ argumentum *Evangelium*.

Cccc 2

9. Secun-

- 9. Secundum illius argumentum.
- 10. Tertium argumentum.
- 11. Quartum illius argumentum.
- 12. Quintum argumentum.
- 13. Sextum argumentum.
- 14. Septimum argumentum.
- 15. Episcopi exemplo Apostolorum solliciti esse debent, ne per curam temporalem avocentur à ministerio spirituali.
- 16. Quales esse debeant dispensatores rerum Ecclesie?
- 17. Quam sollicitus fuerit Apostolus, ne suspicio infida dispensationis daretur.
- 18. Voluit jam pridem Ecclesia ut Episcopi in dispensatione rerum Ecclesie adhiberent Clerum suæ Ecclesie.
- 19. Cur a temporalium in multis Ecclesiis commissa fuit Diaconis, ac præcipue Archidiaconis.
- 20. Ex hac Archidiaconorum auctoritate remansit hodiernum jus deportus.
- 21. In quibusdam Ecclesiis Episcopi habebant œconomum cui cura temporalium incumbebat.
- 22. Idque etiam ante Concilium Calche donense.
- 23. Canon Concilii Calche donensis præcipiens in omnibus institui œconomum.
- 24. Oeconomus non sumendus ex cognatis aut domesticis Episcopi.
- 25. Constitutio Justiniani Imp. de œconomis.
- 26. Decretum Synodi VII. de constituendis œconomis.
- 27. Canon Concilii Hispanensis contra Episcopos sine œconomis Ecclesie administrantes.
- 28. Concilium Toleranum IV. urget institutionem œconomis; hic aliquando dicitur Vice Dominus.
- 29. Quando usus œconomorum desinere cœperit.
- 30. Sanctus Carolus magnus attendens spiritum quam litterarum Canonum œconomos ab Episcopis constitui voluit.
- 31. Id ab omnibus sua Provincia Episcopis servari voluit, ut liberis functionibus incumbere possent.
- 32. Qualem œconomum desideret.
- 33. Synodus Calchedonensis vult etiam proventus Sede vacante per œconomum administrari.
- 34. Hoc Decretum renovatum per Synodum Tridentinam.
- 35. Electus à Capitulo sine justa causa deponi nequit.



Episcopus primitus fuisse rerum Ecclesiasticarum primatos ac præcipuos dispensatores omnium passim Canonum una est sententia.

Canon 41. vulgò Apostolorum ait: "Jubemus Episcopum rerum Ecclesie potestatem habere,

"Rationem addit: "Si enim pretiosæ hominum animæ sunt ei credendæ, multo magis sunt committendæ penitentiæ, ut in ejus sit facultate omnia administrare.

Eadem repetit Canon. 25. Concilii Antiocheni anno 341. vulgò in Encaniis dicens: Episcopus habeat rerum Ecclesie potestatem, ut eas in omnes egentes dispenset, cum multa cautione & Dei timore.

II. Et quamvis seculo 4. aut 5. in aliquibus saltem Ecclesiis vulgaris illa rerum Ecclesiasticarum in quatuor portiones divisio invaluerit, & Canonum auctoritate decreta sit, nihilominus suprema dispensandi auctoritas remansit penes Episcopos, uti supra tit. 32. cap. 6. monuimus; & multis Canonibus etiam seculo sexto & septimo claris terminis expressum est.

III. Hac auctoritate nonnulli Episcopi abutentes, facultates Ecclesiarum ita sibi vindicabant, ut parum aut nihil ipsis Clericis relinquerent, quemadmodum seculo sexto Episcopi Galliani apud Carpentoracten congregati testantur, dicentes: "Hujusmodi ad nos querela per venit, quod ea quæ à quibuscumque Fidelibus Pa-

rochiis conferuntur, ita ab aliquibus Episcopis præsumantur, ut aut parum, aut propè nihil Ecclesiis, quibus relicta fuerant, relinquatur.

IV. Post hæc subiungunt: "Hoc nobis justum & rationabile visum est, ut si Ecclesia civitatis ejus, cui Episcopus præest, ita est idonea, ut Christo propitio nihil indigeat, quidquid parochiis fuerit derelictum, Clericis qui ipsis parochiis deserviunt, vel reparacionibus Ecclesiarum rationabiliter dispensetur. Si verò Episcopum multas expensas & minorem substantiam habere constiterit, Parochiis quibus largior fuerit, collata substantia, hoc tantum quod Clericis vel factis tectis rationabiliter sufficiat, referretur: quod autem amplius fuerit propter majores expensas Episcopus ad se debeat revocare.

Hic ergo apparet eo adhuc tempore dispensationem facultatum Ecclesiasticarum fuisse penes Episcopos, atque potuisse etiam inferiorum Ecclesiarum Parochialium facultates ad se avocare; modò tamen ipsis Parochialibus esset sufficienter provisum.

V. Verùm quia in hac sufficientia assignanda vel relinquenda Episcopi nonnulli essent æquo tardiores aut tenaciores & minus liberales, cœperunt seculo sexto nonnulla bona ipsis Ecclesiis parochialibus præsertim ruralibus, aut Presbyteris illis deservientibus reservari, quorum proventus ipsis solis crederent. In Concilio Aurelianensi III. anno 538. decernitur *Can. 5.* "Si quæ oblationes in quibuslibet rebus atque corporibus collatæ fuerint basilicis in civitatibus constitutis, ad potestatem Episcopi redigantur; & in ejus sit arbitrio, quid ad reparationem basilicæ, aut observantiam ibi substantiam deputetur. De facultatibus verò parochiarum vel basilicarum in pagis civitatum constitutis singulorum locorum consuetudo servetur.

VI. Hoc insuper scitur, lesim unicuique Ecclesie, quin & titulo suos particulares proventus circa novum & decimum seculum cœpisse annexi; ita ut qui Ecclesie aut titulo esset præfectus, jure suo haberet plenum jus percipiendi & dispensandi annuos proventus illi annexos; uti latè deduxi supra tit. 18. cap. 1. ubi de origine beneficiorum actum est.

VII. Quamvis autem per beneficiorum erectionem; nec non bonorum Ecclesie Cathedralis inter Episcopum & Canonicos partitionem, libera illa Episcoporum dispensandi, & administrandi res Ecclesiasticas auctoritas non parum restituta fuerit; nihilominus indubitatè est, Episcopos adhuc mansisse rerum Ecclesiasticarum superintendentes, & curatores quoad Ecclesias & loca sibi subjecta: atque etiamnum hodie auctoritatis illius non paucas, nec exiguas superesse reliquias.

VIII. Indubie hujus auctoritatis reliquie putandæ sunt, quod passim in Synodis Belgicis injungitur, ut adeptus Pastoratum, antequam cura animarum vel possessio pastoratus ei detur, jurare & promittere debeat: "Specificationem omnium fructuum Pastoratus mei, cum debita designatione hypothecarum, limitum & terminorum, intra annum à festo nativitatis S. Joannis Baptistæ proximè venturo, Archipresbytero tradam.

Hæc ex Synodo P. II. Mechliniensi uti latius retulimus supra titulo 26 cap. 2. ubi unà notavimus, idem penè juramentum exigi à provisus de quocumque simplici beneficio.

Ut quid hæc bonorum specificatio Archipresbyteris, qui Episcoporum quasi Vicarii sunt, exhibenda? Nisi ut ipsi vice Episcoporum conservationi illorum bonorum intendant; invigilentque ne quid per Beneficiatorum incuriam deperdatur.

IX. Jubent quoque Synodi, "pro conservatione bonorum ad Ecclesias Parochiales & Capellanas pertinentium, ut singuli parochi & Capellani inventarium bono-

bonorum eorumdem faciant, illudque subfignent, nec non à Majore & Scabinis etiam suæ Parochie subfignari curent, & Ordinarius transmittant, qui Ordinariis registum in quo singula inventaria hujusmodi describantur, confici mandent, ipsa originalia & authentica in archivum aliquod reponant, & ad posteritatis memoriam diligenter asservent. Ita Synodus P. II. Cameracensis tit. 15 cap. 7.

X. Et Synodus P. II. Mechliniensi tit. 22. cap. 3. vult ut "Possessores quorumcumque Beneficiorum, litteras fundationum eorumdem, & omnium bonorum ad beneficia spectantium, Decanis Capitulorum vel Archipresbyteris, quorum visitationi ipsa Beneficia subeunt, sunt intra trimestre post publicationem præsentis Synodi exhibeant, in archivis Episcoporum, vel Capitulorum asservandas.

Similia in omnibus passim Synodis Belgicis leguntur, quæ Episcopalem in bona Ecclesiarum & Beneficiorum Episcopis subiectorum superintendentiam evincunt.

XI. Illa quoque tum Synodorum Decreta, tum Principum Edicta, quæ volunt compariibus bonorum spectantium ad Ecclesiarum fabricas, & Mensas pauperum Episcopum ejusve Deputatum interesse (de quibus par. 1. tit. 5. cap. 4.) rursus ostendunt, Episcopo horum etiam bonorum curam incumbere.

XII. Synodus Trid. sess. 22. cap. 8. & 9. De Reform. Episcopis attribuens amplam potestatem visitandi Hospitalia, aliaque pia loca; ipsosque hospitalium & similitum administratores urgens ad reddendam singulis annis rationem administrationis Ordinatio, non obcurè ipsam Episcoporum auctoritatem in bona illorum locorum insinuat: sed de hac auctoritate Episcoporum latè agitur infra titulo sequenti.

XIII. Consensus Episcopi in alienatione bonorum Ecclesiarum necessarius (de quo infra) sat manifestè evincit, eminentem aliquam, & primariam auctoritatem in administrandis inferiorum Ecclesiarum & Beneficiorum bonis penes Episcopos remanere.

XIV. Quod Parochi alique plures Beneficiati testari nequeant sine licentia Episcopi; item quod ad Episcopum mobilia Clericorum intestatorum in quibusdam locis devolvantur, ut ea ipse in Canonicos usus dispenseret, manifesta sunt hujus Episcopalis auctoritatis indicia, & relicta vestigia.

Quod in nonnullis locis Episcopi ad se trahant proventus beneficiorum vacantium, aut litigiosorum, vel quibus ipsi Beneficiati personaliter non deserviunt, hujus auctoritatis est vestigium: uti expressè docet Synodus Silva duensis sub Masio tit. 20. cap. 9. dicens: "Cum Ordinarius in sua Diocesi omnium beneficiorum, bonorumque Ecclesiasticorum sit Curator, & Rector supremus ordinamus, quod tempore vacationis ac litigiosorum deservituræ Ecclesiarum ac Capellaniarum, beneficiorum, officiorumque Ecclesiasticorum, ac etiam ob temerariam Rectorum absentiam, ab eisdem, videlicet quando illi nobis litteras privilegii & dispensationis, quibus à residentia excusari volunt, tempestivè ante festum S. Aegyptii non exhibent, nec juxta ordinationem Concilii Provincialis Mechliniensis primi, docent quod extra locum residentie clericaliter, & convenienter ordini suo incedant & vacant, tunc dispositio servitii seu deservituræ, ac omnium fructuum ejusmodi Ecclesiarum & beneficiorum, ad nos, juxta antiquam & laudabilem consuetudinem, habentem in Jure Canonico fundamentum, spectet & pertineat.

XV. Verùm dum Ecclesia curam & dispensationem temporalium Episcopis commisit, noluit eos his ita occupari, ut horum cura aut dispensatio ipsos in cura spirituali longè maximè impediret, sed voluit, ut imitarentur

apostolos, quorum sunt successores, qui dixerunt ad multitudinem discipulorum. Non est æquum nos derelinquere Verbum Dei, & ministrare mensis. Considerate ergo Fratres, viros ex vobis boni testimonii septem, plenos Spiritu Sancto & sapientia, quos constituamus super hoc opus. Nos verò orationi & ministerio Verbi instantes erimus. Ad dirque sacer textus: Et placuit sermo coram omni multitudine. Act. 6.

XVI. Exigunt Apostoli, ut eligantur ad hoc opus mensarum, sive dispensationem temporalium viri boni testimonii; hoc est integræ & inculpatae famæ; nec non pleni Spiritu Sancto & sapientia: quia, nisi quis plenus sit Spiritu Sancto, sive charitate Dei & proximi, & sapientia, hoc est Christiana prudentia in rebus agendis, in rerum temporalium dispensatione facile peccatur; vel nisi sit boni testimonii, peccare existimabitur.

XVII. Quapropter & Apostolus collectæ perficiendæ apud Corinthios, non tantum Titum, quem in multis sæpe sollicitum esse probaverat, sed misit etiam cum illo Fratrem cujus laus est in Evangelio per omnes Ecclesias; ne quis (ait) nos vituperet in hac plenitudine que ministratur a nobis. Sensus est ait Estius: "Ideò misimus viros tam integros, & extra omnem suspicionem positos Titum, & alterum fratrem cujus laus in Evangelio: ne quis malè de nobis loquatur aut suspicetur, quasi non satis fideliter & castè pecunia tam larga, nostro ministerio collecta, à nobis tractetur. Nam ut pecunia cupido lateat, ac perfacile in eo genere vel peccatur vel peccatur, ac existimatur.

XVIII. Exemplo itaque Apostolorum, jam pridem Ecclesia voluit, ut Episcopi in dispensatione & cura rerum temporalium adjutores & socios fideles haberent; ne ipsa temporalium cura in spirituali suo ministerio impedirentur; omnemque infidæ administrationis suspicionem evitarent.

Imprimis cautum fuit ut in hac dispensatione Presbyterorum & Diaconorum suorum (quos hodie repræsentat capitulum Cathedrale) operâ uterentur; adeo quidem ut in Concilio Antiocheno seculo 4. cautum fuerit: "Quod si (Episcopus) convertat res Ecclesie in suos usus, & Ecclesie redditus vel agrorum fructus, non ex Presbyterorum vel Diaconorum sententia administrat, sed domesticis suis aut cognatis, vel fratribus, vel filiis, licentiam det, ut rationis Ecclesie per ipsos clam detrimentum capiant; in Synodo Provinciae administrationis rationem reddat.

Hujus veteris disciplinae etiamnum est vestigium, quod "Episcopi res suæ Ecclesie sive Episcopatus alienare aut gravare sine consensu sui Capituli nequeant, uti infra notabitur.

XIX. Ipsa quoque temporalium cura & immediata dispensatio in multis Ecclesiis exemplo Apostolorum commissa fuit Diaconis; inter quos tamen prima cura sentim transit ad Archidiaconos, Unde S. Ildorus describens officia Archidiaconis ait; "Collectam pecuniam de communionem ipse accipit, & Episcopo defert, & Clericis partes proprias idem distribuit.

XX. Postquam singulis Ecclesiis sui proventus fuerant annexi; plena dispensatio ipsis beneficiatis concedita fuit, minor quoque esse cœpit Archidiaconorum circa dispensationem Ecclesiasticarum auctoritas. Ex pristina interim hac dispensandi auctoritate & cura Ecclesiarum Parochialium Archidiaconis incumbente remansit etiamnum hodie apud quosdam Archidiaconos jus dispensandi proventus ecclesiarum Parochialium durante earum vocatione, quod vocari solet jus deportus. Sed cum pristina disciplina non nisi dispensatione retinenda Ecclesie Archidiaconis annueret, non apparet, hoc jus deportus ipsis Archidiaconis fructus Ecclesiarum vacantium